



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

Puente, Luis de la

Coloniæ Agrippinæ, 1625

§. 3. Diuina vocatio fidem reparat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39652

tibi esse os siccum non desperabis de remedio, si confideres, DEVM tua causa factum infantem tenerum; talem mortem passum; ad infernum, vt illum spoliaret, descendisse; ac de numm ascendisse, vt cæli tibi portas aperiret.

§. 3. *Diuina Vocatio Fidem reparat.*

VLTERIVS adhuc progreditur diuinæ Vocationis efficacia erga tertium genus peccatorum, qui etiam, Fidem amiserunt: ideoque tanquam cadaver manent, in puluerem & cinerem conuersum. & hi sunt *a Iob. 14. 7.* Hæretici, alijque similes: de quibus illud S. Iob dicere possumus: *a lignum habet spem: si praeisum fuerit, rursus virebit, & rami eius pullulant, si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aqua germi- nabit, & faciet comam quasi cum primum plantatum est. Homo vero, cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, ubi quæso est? & quomodo talis ad vitam reuerti poterit? Quod si lethali culpa sit mortuus, & omnibus virtutibus spoliatus, & omnino cõsumptus: quomodo is poterit resurgere, & amissam vitam recuperare? Sed hoc ipsum, quod est ad eò ab humana facultate remortuum: diuinæ est facillimum. Nam quemadmodum nos fides docet, in die nouissimo, Archangeli vocem & tubam in virtute DEI resuscitaturam omnes mortuos, etiam in pulueres cõuersos: ex quibus ossa, carnem, & cutem educet, corpusque formabit, in quod rursus anima redeat: sic DEI Vocationem, quæ instar vocis ac tubæ sonitus sonat, terretque peccatores: potentem esse, ac sufficere, ad illos resuscitandos; & ex puluere, in quem sunt conuersi, educendos: largiendo illis denud Fidem, Spem & Charitatem.*

b Isa. 26. 19. HÆC sublimis illa vocatio est: qua DEI maiestas, vt ait Isaias, suos mortuos vocat, vt resurgant, dicens: *b exprophiscimini, & laudate qui habitatis in puluere: quia ros lucis, ros tuus, atque si mylticè dixerit: ô miseri peccatores, qui ad profundum omnium miseriarum peruenistis! nolite de remedio vestri desperare, nec de vobis actum esse existimare. Mihi enim æquè facile est in pulueres iam conuersum resuscitare, atque dormientem excitare. Excitami itaque, & ad vitam nouam resurgite, vt infinitam meam misericordiam lauderis; immensam eharitatem magnificetis; ac glorificetis omnipotentiam. Si estis sicci, effundam super vos gratiæ meæ rorem: qui siccam arborem reuivescere faciet, vt crescat proferatque fructus benedictionis: sicut in principio. si in tenebris estis errorum, ros meus est ros lucis; qui vos lumine Fidei, & Spiritus S. splendoribus illustrabit: vestrasque deceptiones dissipabit. Quare excitami, resurgite, tantumque vestrum benefactorem laudate: vestra enim conuersio, est mea lætitia, & vestra resurrectio, mea gloria: cuius, causa non est voluntatis meæ mors impu: sed vt conuertatur à vitis suis, & vinat.*

c Eze. 18. 23.